Magnae coram domino uirtutis esse praedicantem in deserto caelestia gaudia
terrenas ex integro spreuisse delicias. Sed et hoc coram domino
magnum eminentiae quamuis hominibus uideatur esse despectum. Quod sicut
in natis mulierum maior nemo est, lasciuientis obtentu puellae capi
te truncatus est. Cuius ordinem magnitudinis ipse qui proposuit ange
lus subsequenter exponens: Et uinum inquit et siceram non bibet.
Sicera interpretatur ebrietas. Quo uocabulo ebrei omne quod inebriare
potest poculum, siue de pomis, siue de frugibus, seu de qualibet alia
materia confectum significant. Proprium uero in lege nazareorum
erat uino et sicera tempore consecrationis abstinere. Unde iohannes
samson et hieremias ceterique tales ut semper nazareni id est sancti
manere possint semper his abstinere satagunt. Decet enim uas caelestis
gratiae emancipatum a saeculi inlecebris castigari. Nec uino in quo est
luxuria debriari eum qui multo spiritu sancti desiderat impleri. Unde
recte cui uini ebrietas tollitur spiritus gratia cumulatur. Quare tunc
ut praedictum erat ipso se repletum monstrauit cum intrante beata maria
in utero genetricis exultauit et praecursionis suae cognoscens officium
domini quam nondum adhuc poterat euangelizauit aduentum.

ET MULTOS FILIORUM ISRAHEL CONUERTET AD DOMINUM DEUM ipsorum ET IPSE PRECEDET ANTE ILLUM IN SPIRITU ET UIRTUTE HELIAE

Cum iohannes qui christo testimonium
perhibens in eius fide populos baptizauit, dicitur filios israhel ad dominum
deum ipsorum conuertisse, patet profecto christum esse dominum deum israhel. — quod iohannes in fide christi baptizauit
Si autem christus est, immo quia christus est dominus deus israhel, desinant arriani christum — arriani
dominum deum esse negare. Erubescant fotiniani christo ex uirgine principium dare. — fotiniani
Cessent manichei alium populi israhel, alium christianorum deum credere. — de manicheis
Et quia iohannes praecedere ante illum dicitur, uideant aeternum ante
saecula deum post hominem in saeculis natum. Ideoque a suo praecursore modo
uirum post se uenturum, modo dei filium esse nominatum. Qui bene
in spiritu et uirtute heliae praecedere dicitur, quia sicut ille praecursor uenturus
iudicis, ita hic praecursor factus est redemptoris. Unde et conuersatione